

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 4 (1890)

Artikel: De Christo puero pulcro
Autor: Commer, Ernestus
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-738293>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 06.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>





DE CHRISTO PUERO PULCRO.

SCRIPSIT

ERNESTUS COMMER.



Pulcra sunt quae visa placent: in Christo filio dilecto Pater almus ipse sibi bene complacuit.

Et Verbum caro factum est, cuius gloriam magnificam vidimus.

Splendor ordinis pulcritudo: eo quod in carne Jesus apparuit, divini splendor ordinis, qui satis enarrari nunquam potest, mente capitur.

Pulcherrimum videtur arcanum sacratissimum, cuius perceptio placet: perfectio maxima interest atque consonantia nec claritas deest, pulcrum patet.

Natura Dei bonitatis est essentia: summum bonum sponte sua se diffundit.

Summum bonum, quod principium est, divinis Trinitatis sanctissimae processionibus semet secum communicat, bonitatem erga res creatas super eas se diffundendo exercet liberrime.

Summo bono, quod Deus est, communicatio congruit summa.

Paradisi, quem Dominus Deus a principio plantaverat, fons ascendebat e terra, et fluvius egrediebatur de loco voluptatis inde divisus in capita quatuor ad irrigandam universam superficiem terrae.

Fons bonitatis ascendebat e summo bono quatuor fluviis divisus, quibus rerum creatarum paradisi irrigaretur: natura gratia gloria incarnatione flumen boni quater dividebatur.

Sua tantum bona bonus Deus in ordine naturae gratiaeque largitur: res creando conservando nec non praemovendo dat beneficia, quae naturis rerum debentur; indebita praestat gratuitaque dona sanctos faciendo, quos creavit, et in altiora tollendo.

Quibus sanctis constitutis ipse se donat intelligendum clare, ut quos nullis meritis praevisis sola bonitate praedestinat, etiam gloria coronet, quippe qui gratis vult gloriam dare nec vult dare gratis.

Incarnatus gratiae fons ipse se nobis impertitur re vera.

Natura communis, diversa gratia; naturam nobilitate gratia superat, quam gloria consummat: omnium maxima communicatio divinarum inhumanatio Dei, mirabilis demissio.

Propriam personam Deus operi suo tribuit, qui sibi fecit et creato communem personam.

Incarnati Verbi subsistentia, quae cum humanitate suscepta communicatur, omnem modum bonorumque donorumque ceterorum vicit.

Ipsa natura humana, ut divinitatis omnino particeps sit, extollitur, hominibus eiusdem generis caput in regno gratiae praeficitur, vivum virtutum exemplar proponitur, quo promoveantur ad bonum, a malo removeantur.

Cum rerum cunctarum aliquid et corporum et plantarum et animalium et spirituum ad animalis ratione praediti essentiam ex materia prima atque anima intelligenti conflata pertineat, homo mundus minor est, in quo gradus omnium rerum coeunt.

Verbum homo factum omnes in unum secum gradus coegit: in divinam personam suscipitur universitas rerum diva miro modo facta: sic Deus dilexit mundum, ut instaurarentur in Christo cuncta.

Una Dei natura in pluribus personis subsistit, hominis una natura ab una persona habetur, naturae Christi plures inter se iunguntur una persona.

Sine viro ac muliere Adam primaevus pater creatur, Eva producit ex viro virago sine muliere, ex viro ac muliere parentum suboles gignitur: nascitur alter Adam non ex viro nec filius hominis sine muliere, sed ex muliere Christus oritur absque viro.

Infima cum altissimis copulantur, quo nexu differentiae totius universi medio suo continuantur: in medio virtus stat: ad concordiam mundus adducitur, ad principium, per quod creatus est, revertitur renovatus imo recreatus.

Quibus praecipuis essentia divina perfectionibus pulcherrime rutilat, ars inhumanationis diva coruscat. Est opus bonitatis infinito peractum amore; est sapientiae, quo primum atque ultimum litis componendae causa paria redduntur; est iustitiae, cum Christus noster Justus offensam solus adaequet infinitam et efficiat nostram satisfactionem, qui, peccatum nisi esset, nunquam venisset; est denique labor omnipotentiae, quo melius nil fieri queat.

Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius.

Infans Dei Verbum cum iaceat in praesepe, facunda hominis ratio paene taceat.

Sermo creator creato sermone nunquam dicitur.

Stella lucet supra stabulum, fides ducit viatores ad veri pabulum.

Adsunt angeli cum amore cantantes, absint philosophi morose detrectantes.

Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.

Lux gloriosa Patris in coelo, in terra pax hominibus cum Deo facta: princeps beatae pacis, ortus divae facis.

E creatis pulcritudo cognita personam Dei Filii, cuius proprio similis ipsa est, nobis manifestat.

Qui Filius in se Patris integram naturam vere possidens totus est perfectus.

Imago Patris expressa consona quoque est.

Verbum cum lux et splendor intellectus sit, etiam clarissimum.

Quia perfectus consonus clarus, ergo pulcherrimus et exemplar aeternum pulcri creati.

Cuius perceptio placet, ipsum verbum mentis nostrae est, quod ordinem rei clare visum profert: ergo Dei quoque Verbum

primum pulcrum ipsum per se semper splendet, cui pulcris rebus omnibus procul assonat echo.

Verbum carnem factum formosissimum quoque decet esse: ordinis divini fulgor igneus, qui nimis placet, et substantia et vita Christi micat.

Ex unitate multitudinis ordo: quo magis quid unum, eo pulcrius quoque comprehenditur.

Coniugium Dei hominis intimum sola persona perficitur.

Persona maximam continet expletionem et ultimo puroque termino naturae substantialis constituitur.

Praesepes est magistra contrariorum: Deus est homo, homo Deus.

Utramque substantiam Dei hominisque convenisse in unam personam, nullum verbum explicat, nisi Verbum, quod caro factum est.

Extremorum tanta distantia, unio tamen omnium maxima eo, in quo disparia iunguntur confinia.

Persona Verbi supplet in Christo humanam et vere dicitur hic homo personaque humana.

Vere proprieque Christi persona componitur e naturis divina atque humana, e natura humana Verbique persona.

Persona Christi pueri nati divina pariter est et humana.

Aequalem Patri divinitatem consubstantialemque, humanitatem matri similem possidet: aliud et aliud habet, alius et alius non est.

Est utrumque, Deus et homo: Deus propter accipientem Deum, homo propter acceptum hominem.

Unus omnino nec duo, sed unum quid et unus, unus idemque Verbum et homo.

Deus Verbum per substantiam propriam personae divinam relatumque terminavit humanitatem: ex se solus terminare valet, qui maxime purissimeque existit; sed ipsa divina essentia et absoluta subsistentia in Filii subsistentia relata profecto imbibuntur.

Jesus filius infans verus est, in rebus existit vere puer natus, cuius tamen anima corpusque non indigent existentia producta.

Quantus homo, tantus existit divine: sic arcte Deus homo, sic homo Deus est.

Cuius est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio, homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis.

Qui solus expers omnino vicis prioris et posterioris idem tantus est, ut principio careat aeque ac fine, temporum vicissitudines experitur.

Qui quasi flos egreditur ex utero matris virginis et conteritur et fugit velut umbra.

Annos fere tres et triginta nobiscum habitabat, cuius ante oculos mille anni tamquam dies hesterna, quae praeteriit: brevi consummatus explevit tempora cuncta.

Christus est Patris splendor gloriae signumque substantiae, quod nunquam variatur: cuius est imago, eius immutabilitatem Deus retinet Patri consubstantialis.

Deus rerum potens non est potis mutari nec cupidus mutationis: quod esse plenum est ipsum, ab omni motu alienissimum.

Natura assumpta plures immutationes subiit, Verbum assumens divinitatis plenum immutatum mansit in se.

Christus est divinitas et humanitas simul sumptae: inconfusa salvatur atque impermixta proprietas utriusque substantiae.

Res, quae est homo Jesus, est res, quae deitas: Christus est deitas, filius hominis deitas est.

Tamen nec Christus nec Dei Filius est humanitas neque mortalitas: divinitas non est homo neque creata neque nata neque passa neque crucifixa.

Deus non est humanus, Christus neque homo deificus nec deifer neque dominicus est; tamen Christus Jesus divinus est.

Quia homo, servus Dei naturalis est: licet homo, non adoptivus, sed naturalis Dei filius.

Sapiens Verbum dixit, et creata sunt omnia: quod infans factum est flens atque lactens uberibus et stultitia hominibus, absque sermone redintegravit omnia; nec qui parvus in praesepe dormit, cessat a vigilantia vigil custos omnium.

Missurus Spiritum sanctum pignus amoris, ut ignem mitteret in terram, venit nec, nisi ut arderet, voluit: dux fortissimus ab hominibus contemnitur, servator pius in impiam terram fugatur, amor immortalis ad mortem quaesitus odio invidiaque hominum vitiis emortuorum, idem resurrecturus a morte mortemque victurus.

Puerulus bellus, qui Verbum Dei corporatum est, totius humanae naturae dominus iubare splendidus ordinis.

Cuius animam pulcritudo, qualis est spirituum, corpus autem corporea notavit: utraque pulcro relucet aeterno.

Immortalis vita, quae Deus est ipse, animam creatam, qua corpus viveret, cum potentiis et actionibus integerrimis ab infante Christo non repulit: magis homo nullus homo fuit isto filio hominis, a quo nihil humani boni alienum.

Et vidimus gloriam eius quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

Naturam rerum gratia nulla perdidit, divam reddidit Christi, cuius aucta supra naturam perfectio naturalem non combussit.

Ipse defectus assumptus propter salutis finem maiori cessit gloriae: ab integro toto nitor ordinis, quo maius artifex nihil potest, qui potest omnia.

Humanitas Christi divinitatis oleo delibuti est vere grata, vere sancta: cuius anima Verbo propinqua, ipse principium cognitionis et amoris, quae cum natura nostra sed supra eandem a nobis eliciuntur, ipse caput est hominum.

Cuius humanitas per naturam divinam ex se sanctitatis effectricem essentia sanctitatis sacratur.

Ad Deum gratiae causam mens Christi tam proxime accessit, cui habitus quoque gratiae ultra modum acceptae ab ortu primo infunderetur: quod nascitur sanctum, vocatur Dei Filius.

Quidquid ad gratiam pertinere potest, hac Christi gratia continetur, quae ut homines infinitos sanctos reddere possit, nullis finibus arcetur.

Et hominum caput et angelorum, qui capitis gratia in suos influat, Christus elicius est.

Ipsum Verbum homo sapientia aeterna est et omnia Patris novit: humana Christi mens omnes sciendi modos exercet, ne sit eo ditior ullus.

Ornabatur trilici scientia, qui trilici gratia fulgebat.

Lumen maius non semper fuscatur minus: sol quo magis illuminat, aer eo magis rutilo cum lumine claret.

Ex quo Jesus utero virginis concipitur, semper essentiam divinam, sicut est, intuetur clarissime, unde fines beatitudinis attigit.

Quaecumque Deus visione scit, ab ipsius quoque mente videntur: felix potuit rerum, quae fuerunt, sunt et erunt, causas cognoscere: in primo limine vitae ad luminis terminum beatus ille devenit, ne in itinere quidem exul a patria.

In matris gremio per insigne miraculum summo gaudio simul ac summa tristitia satiatur: laetatur de bono divino, angitur malo misertus malorum malis ad mortem tradendus, qui parvulus in cunabulis etiam nostris dolet doloribus.

Alia scientia puer unicus infusa tota iam inde ab initio simul gaudet gravaturque.

Se ipso praeceptor aliorum constitutus res naturales ac, quaecumque supra naturam creantur, certo sciebat et cum evidentia, secretumque Trinitatis esse profecto noverat.

Cum res intelligeret, ad imagines internas animum convertere et ratione tum huc tum illuc currenti licuit uti, quoties placuit, cui nulla necessitas ignobilis ratiocinandi: plus et plura calluit angelis.

Alia denique scientia, quae propria industria acquirenda erat, plurimum pollebat et in ea proficiebat procedens aetate.

Agentis intellectus vela panderunt: maximis nobilis doctrinis doctore nullo scientias naturales ipse cunctas inveniebat: optimus summi factus ingenii philosophus et opifex artium quoque peritissimus interno conatu atque habitu, unde ceteros homines et angelos denuo superavit.

Doctissimus Jesus infans minutulus sapientiam docet magis humiliter celando quam sublimiter praedicando.

Nec clamat nec tonat terrendo, sed amat ac monet silendo.

Idem sapiens animus non omnipotens quidem sed omnium rerum praepotens: ut homo est, opera supra naturam et re vera mirabilia perpetrare valet.

Quae miracula causantur ab anima Christi, quia Dei instrumentum ac cum Verbo coniuncta est, qua vi corpus suum potest immutare a naturali dispositione.

Deus Verbum corpus cum defectibus communibus tantum et quasi naturalibus, ut pro peccato naturae humanae meliori modo satisfaceret, suscepit, qui magis ac plura quidem pro nobis pateretur.

Morbos arcuit, non mortis necessitatem, nec qui singularium defectus est, pulcritudine corporea caruit.

Cuius peculiaris anima perfectissima, optimi temperamenti corpus.

Integritate membrorum, partium concordia, nitido colore nativo formosissimus Jesus, cuius humano vultu tanta divinitatis occultae maiestas relucebat, qua ex primo ad se videntes traheret aspectu sui que amore admirantium animaret animos.

Qui quaecumque Deus in natura nostra sevit, assumpserat, corpus non mutilum sed aptum ad opus vitae propter salutem nostram exercendum idque proportionis aequae possedit absque infirmitate.

A sancto Spiritu virtutis agente infinitae primogenitus multorum fratrum pulcherrimus effectus est, cuius anima optima materiam corporis ex sanguine beatissimae Virginis paratam informavit.

Adam primus per ipsum Verbum, ut talem decuit artificem, dignitate virili decorus olim factus: novissimi Adae sacra humanitas a Spiritu sancto auctore singulari tam delicate fabricata est, ut speciosus prae filiis hominum Jesus Christus Mariae filius, quae tota pulchra mater pulchrae dilectionis est, evaderet.

Formata decore sancta Christi species, forma eximia et per omnes aetatis gradus formosissima.

In quo nihil peccati, ne potentia quidem peccandi nec ad poenam reatus neque fomes peccati.

In quo nullus error, nulla pravae dispositionis ignorantia: nihil implicatum malorum habitum.

Omnibus animi passionibus, quae dicuntur, quamvis a nostris diversae conditionis afficiebatur.

Concordia affectionum variarum et contrariarum miro modo creatorem eiusdem animi magnum collaudabat.

Idem concentus volendi divinam inter humanamque Christi voluntatem, nullam ex contrariis ac diversis inter se pugnantibus voluntatibus dissidium, sed stabilito summae libertatis humanae iure firma plures inter voluntates amicitia, cuius eadem velle atque eadem nolle est.

Ipse virtutibus, quibus decet animam beatam, omnibus ornabatur et naturam superantibus et totis quidem infusis: cui, cum conciperetur, clarissima virtutum gemmis corona imposita erat.

Tres tantum desunt: fide speque poenitentiaque ter felix animus non indiget.

Naturalibus etiam virtutibus decorabatur infusis ab initio, quod certe dignius est atque perfectius.

Donis suis Dei Spiritus animam Christi salutaris movebat.

Meritorum eius nullus finis, qui quaecumque voluntate domina gessit.

Jesus tener infans infinita coram Deo habuit merita: pleno rationis usu dominus actionum anima corporeque exercendarum erat, cui potestas animam deponendi.

Transeamus usque ad Bethlehem et videamus hoc verbum, quod factum est.

Expletus omnibus suis numeris et partibus Christus pulcherrimus, nec minus enitet infantiae decore: mirabilis nativitas, spectabilis ordo vitae.

Christum esse Deum suavissima rerum gestarum consonantia manifesto demonstrat: divus ipse vita proditur poeta.

Bis natus, qui semel in aeternitate sine matre, semel in tempore sine patre nascitur.

Magnus Deus, qui salutem dedit in manu feminae: mater est, quae concepit et genuit: Maria praeparante materiam vere natus, cuius et divinitas et humanitas est.

Ortu puer generosior, quo pullulat a virgine virga radicis Jesse sine matris dolore: per clausam portam, cuius signa non laesit, obsignator ipse transiit.

Ex aeternitate venit immutabili in mutabile tempus, ex alternatione temporis volubilis ad aeternitatis quietem, quam nunquam dimisit, idem rediit.

E mente Patris in uterum matris Verbum caro factum salit.

E coelo proficiscitur ad terram factus homo terrenus, a terra post mortem graditur ad inferos, redux evolat e terra ad superos, unde venit, ad Patrem reversus summum.

Aeternitatem Dei Christus Verbum possidet, humanum tempus homo Christus expertus est, cuius anima corpore soluta traduxit etiam aevum spirituum.

Christus Deus est ubique, homo loco circumscribi permittebat, tamen spatium et introitu et exitu vitae superavit: imo nova singularis miraculi ratione quaesita praesens sacramento sui corporis et sanguinis.

Cuius vitae harmonia modis innumerabilibus praeclarissima: suo quisque sensu satis abundat.

Res ratione numeroque gestas audi: ordinatis conserte cantici divinissimi modis summum bonum, quod in numero pondere mensura disposuit omnia, magnifice laudatur.

Trini Deum numeri, hominem quaterni demonstrant mundi quatuor elementis conflatum totidemque virtutibus cardinalibus exornandum: Christo Deo homini compositus ex utroque septimus numerus sacer, quo sacramenta quoque salutis ab eodem auctore relictata comprehenduntur.

Tria regna quatuor passibus divinis permeavit.

Qui regis sacerdotis doctorisque triplici munere functus quadruplici conditione patibilis mortuus redivivus et in gloria sempiterna consummatus erat.

Sanctus puer verus pontifex humanitate sola, cuius actiones propter divinitatem propriam valeant virtute infinita.

Inter reliquos iste summus in aeternum sacerdos, qui ipse simul hostia et templum et altare est, excelluit, cuius pontificatus sua gratia habita una cum gratia unionis et Dei iussu initiatus

omnia nobis Dei bona praestitit cunctaque peccata expiavit impia.

Puellus adorandus rex regum et totius mundi dominus, cuius regia dignitas atque potestas e nexu habito cum Verbo derivantur.

Etiam primus et principalis idem fidei doctor aliis excellentior doctrina in hoc natus, ut testimonium perhiberet veritati.

Ipse qui via veritas et vita, afflatus ternis gratiis ternisque scientiis quaternis rationibus formosus est splendore deitatis, unionis figura, colore virtutum, conversationis ornatu.

Qui benefactor cum terram transiret, septem partibus distinctis vitam circulus aeternitatis clausit, et terrenum iter in orbem curvavit eundem.

Infans concipiendus annuntiatur ab angelo, nascitur, adoratur, circumciditur, fugatur, innocentium clade dolet, redux puer in templo docet.

Adolescens parentibus in domo Nazarena subiectus per annos ter senos conditur.

Per triennium fere provincias publice praedicando peragrat.

Dolores summos Hierosolymis passus et infiniti pretii victima pro populo caeditur, sine crimine reus nullo iudice accusatus.

Ad sepulturam corpore dato, anima Christi descendit in orcum.

Redivivus per quadraginta dies suis apparet, donec in coelum ascendit.

Per saecula sacramento praesens apud nos remanet ad finem usque.

Harmoniam rerum gestarum possumus ex intervallis hinc et inde divisis a cruciatu nosse, quorum varia compositio miscendo tristia laetis etiam plures harmonias efficit.

Sicut infans imbellis in agresti stramento positus fovetur, ita velatus eucharistiae sacramento curatur.

Absconditam vitam Nazarenam a resurrectione mirabili ad ascensum arduum usque nova conditione repetit: prius cum parentibus, postea cum discipulis aliquando de regno Dei colloquia dulcia serit.

Vitam publicam priorem altera apud patres demortuos regni divini praedicatio aequat.

Media vita moritur: quae crux Jesu medium vitae ipsius, eadem mundi quoque medium est, quia Christus exaltatus ad semet omnia trahit.

Sed supplicio gravissimo iam a puero vates patibilis futureque praescius cruciabatur: quae poenae sacramento corporis et sanguinis sui incruento recoluntur in saecula.

Similia quoque varias inter rerum permutationes attende.

Ex alvo castissima genitricis editus in specu, non sine matris adminiculo in monumento conditus exciso de petra.

Nocte multa clam nascitur, coram moritur obscurato sole, primo diluculo resurgit e sepulcro nemine vidente.

Nato Joseph altor vir Mariae, mortuo Joseph alter vir iustus ministrant.

Annunciant angeli surgentem ad lumina vitae, testantur angeli resurgentem ab ipso limine leti.

In ligno praesepis ut animalium pabulum ponitur a matre dulcis natus, coenatus et animorum panis confectus adstante matre nec non annuente figitur moribundus in ligno patibuli.

Pannis puer gracilis involvitur, exanimatus linteis.

In stabulo pauper ortus, in tabula pauper mortuus.

Bethlehem nativitati gloriosae propter genus regium, Jerusalem opprobrio mortis acerbae propter sacerdotium selegit.

Jesus humilis corde in oppido natus ignobili, in nobili passus urbe.

Etiam septem genera eorum, qui Christum genitum adorare, signa dant secreta.

Maria mater princeps omnium, quia proxima filio mundique regina.

Sequitur Joseph coniux Mariae, qui loco patris infanti servit custos divitiarum Dei.

Adorant angeli superiores hominum, et inhumanato Verbo viso cibum coelestem capiunt saturi.

Pastores fideles ad bonum ovium pastorem accurrunt, quibus animorum pastores summi praesentiuntur.

Magi munera tria offerentes, quibus arcani quid significatur, plenas gentes e longinquo venturas praemonstrant.

Simeon et Anna divinantes piissimi vir ac mulier Christi numen nomine cunctorum, qui ei fidem habituri sunt, in templo colunt.

Innocentes denique pueri subsecti martyrum flores agnum Dei profitentur innocentissimum.

Ipsa Sapientia vitam suam apud homines degendam concipiens ab aeterno carmen concordie varietate sublime invenit.

Velut in cantu fidibusque, sic ex vitae totius actis et circumstantibus factis varii motus cecantur omnium pleni, qui ad harmoniam canunt mundi.

Quae visa placent pulchra sunt: pulcherrimus puer Jesus mente gerens mundum, quem vita sua ipse speciosum fecit.

Opus pulcrum, pulchrior opifex: aeterna pulchritudo Jesus Christus heri et hodie ipse et in saecula.

